

citavimus et potestati Florentine dedimus in mandatis, quod litteras, que false dicebantur, nobis per suum nuntium presentaret, quas apud se habebat, in termino partibus constituto. Cumque in termino illo convenissemus, nuntius Florent. potestatis nobis dictas litteras presentavit. Proposuit enim pars capituli Florent., quod littere ille, que nobis per nuntium potestatis iamdicte presentate sunt, multipliciter erant false, falsitatem tum in stilo, quam in latino, filo et bulla multipliciter assignans. Nos autem in pane calido bullam apponi fecimus et tunc filum fecimus aliquantulum trahi, quod de bulla exiebat, et ita invenimus filum incisum ex superiori parte bulle insertum in bulla et reductum in plumbum et utrumque filum in superiori parte¹ sutum, ne filum incisum sine altero filo extrahi posset a bulla, sicut adhuc in eisdem litteris apparet. Invenimus etiam in eisdem litteris falsum latinum appositum in duobus locis, primo ubi dicitur 'aplica ben' cum deberet dicere 'aplicā bēndictionē'. Secundo ubi dicitur 'iniq̃ tulerunt senm', cum deberet dicere 'iniq̃² tulerunt sentām'. Tertio quod clausulam illam, que post concilium sicut credimus et audivimus in aliquibus litteris apostolicis non fuit apposita, in eisdem litteris invenimus appositam esse, cum dicte littere post concilium fuerint impetrate, que est hec: 'vos denique filii abbas et plebanus super vobis et credito vobis grege taliter vigilare procuretis' et cet. Quarto, quia ubi debebat esse 'cum', 'gi' positum cernebatur, quod nichil representabat. Postea ex parte hospitalis et Sicardi propositum fuit coram nobis presente Sigardo, quod dictas litteras iudicibus presentavit et eis usus est, sicut apparet per publicum instrumentum per manum Rainerii confectum, quod prefate littere non false erant et eas bene defenderent. Set coram nobis super his noluit respondere dicens, quod nuntium ad curiam miserat pro his et aliis peragendis, unde coram nobis respondere non debebat et statim fugiendo recessit. Unde nos precepimus ei sub pena excommunicationis, quod non recederet, set redderet et audiret que dicere volebamus; ipse vero mandatum nostrum contempnens sic contumaciter recessit'. Das Florentiner Capitel verlangt Urtheilsfällung, nachdem man bis zum anderen Tag auf etwaige Rückkehr gewartet. Sigardus wird als falsarius erklärt und als solcher ver-

1) 'bulle — parte' von gleicher Hand und Tinte über den Zeilen hinzugefügt. 2) So Urk.